



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput II. De Ordine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

348 TRACT. DE SACR. EXTR. UNCT. ET ORD.

pascit oves ejus, in tam magnum debet spiritualem crescere ardorem, ut vincat etiam naturalem mortis timorem. Inquit S. Aug. tract. 126. in Joan. tractans casum non absimilem.

Sed quid si reliqua pars Parochianorum carebit Pastore, si nempè Parochus contrahat pestem, & moriatur?

R<sup>e</sup>. Si majora supponas exoriri incommoda, morte Pastoris, quam contrà, sic videlicet, ut pars reliqua fidelium necessariis sit privanda ministeriis, & Sacramentis, non tenetur propter unum particularem tanto se exponere periculo.

C A P U T II.

*De Ordine.*

**S**tatus Ecclesiæ inter naturæ, & gloriæ statum medius est: nam quod ad statum gloriæ attinet, novem in eo reperiuntur Angelorum chori, sive ordines: quorum primo correspondet Episcopatus, secundo Presbyteratus, & ita de reliquis, si nono Angelorum ordini accommodes Clericatum: & hæc prima est in his analogia.

Secunda est, quod in utrisque officium Superiorum sit illuminare inferiores, quidni & exemplo accendere? Plus ergo scientiæ, & caritatis requiritur in Episcopis, quam in Presbyteris, plus in Presbyteris, quam in inferioribus ministris,

Ter-

Tertia, utriusque, id est, tam Angeli, quam ministri Ecclesiæ sunt ministratores spirituales, & quodammodo ministratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Nullus ergo ordinandus est, nisi ejus ordinatio existimetur utilis Ecclesiæ futura.

Quarta, quemadmodum Angeli inter suas erga nos functiones semper intuentur faciem Patris, ita oportet, ut etiam faciant Ecclesiæ ministri. Debent ergo hi semper esse in spiritu orationis, & caritatis officiis.

Quinta, Angeli suâ sponte non intrudunt semetipsos in ministerium hominum, sed à Deo mittuntur; longè minus licet hominibus se intrudere in ministeria Ecclesiæ. Nullus proinde sine legitima vocatione licet tendit ad Ordines, aut ex inferioribus ad Superioribus ascendit, quæ vocatio etiam requiritur ad Clericatum.

Hæc generaliter dicta sint de Sacramento Ordinis: reliqua de materia, & forma, de dispositione ad Ordines S. suscipiendos requisiata, vide apud Authores, cùm ad institutum nostrum non pertineant.

